De Cornelio Nepote, qui putatur, ejusque vita Aristidis

scripsit Rob. Winkler.

Tribus abhinc annis disputatiunculam „Beitrag zur Streitfrage in Sachen Aemilii Probi contra Cornelium Nepotem“ cf. Zeitschrift für das Gymnasialwesen, 19. Jahrgang 1865. p. 433—444 scripsi, qua diversas de libelli, qui inscribitur „Vitae excellentium imperatorum“ auctore sententias cum ante Rinckium tum maxime post hunc virum doctissimum prolatas collegebam, atque Eumenis vita singulatim pertractata evincere conabar, Nepotem non esse istarum vitarum auctorem, neque Probo, nescio cui, tribuendi eas exstare argumentum satis firmum, sed magistrum quendam alterius vel tertii p. Ch. n. saeculi discipulis suis Graecarum literarum rudibus compilasse id opusculum. An ea, quae de regibus atque Carthaginiensium ducibus Hamilcare et Hannibale idem compilator affert, Nepoti, quem Plutarchus dignum laude judicavit, attribuenda esse cuiquam persuasum sit? Ac profecto, omnium doctorum virorum, qui Nepoti istas vitas adjudicant, opinio facile redarguitur. Etenim vitarum auctor in Hannibale c. VI. his verbis utens „Hic invictus patriam defensum revocatus bellum gessit contra P. Scipionem“ cum Diodoro, qui Excerpt. de virt. et vit, l. XXVI—XXX ita docet „ἀήττητος πάσαις ταῖς [ἐν Ἰταλίᾳ] μάχαις ἐγένετο“ et cum Plutarcho consentit, qui in Comp. Arist. c. lat. c. V. dicit „Κάτων μικροῦ ἀνέτρεψε τὴν ἐπὶ Καρχηδονίους Σκηπίωνος στρατηγίαν, ᾗ τὸν ἀήττητον Ἀννίβαν καθεῖλε.“ Idem autem Plutarchus duobus locis contrarium docet, qui loci sunt in Marcello c. XI et in Pelop. c. II, quorum posterior haec verba habet „Μάρκελλος Ἀννίβαν ἀήττητον πρῶτος, ὡς λέγεται, τρεψάμενος ἠφείδησεν ἑαυτοῦ.“ Hic de Hannibale nuntius cur potior Plutarcho videatur, ipse in Comp. Pelop. c. Marc. c. I. his verbis indicat „ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβα γενέσθαι.“ Quomodo haec Plutarchi verba et Nepotis sui locus supra laudatus congruant, recentissimus Nepotianae vitarum auctoritatis defensor, doctissimus Nipperdey, non indicavit. Quare hic Plutarchi locus egregium est meae sententiae argumentum, neque quidquam obstare puto, quominus pro certo habeamus, Plutarcheum Nepotem et vitarum, quas habemus, latinarum auctorem diversos diversorum temporum homines fuisse.

Sunt viri docti, qui cum Lieberkühn-Pohlmanno in rimandis fontibus vitarum Nepoti adjudicatarum desudaverunt; ego vero ita sentio: Simulat historicum vitarum excellentium imperatorum scriptor, fontes commemorans, ex quibus se hausisse jactat, sed leviter atque adeo ridicule magnam partem eo munere functus est. In Themistocle c. IX. scribens „Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, qui aetate proximus de his, qui illorum temporum historiam

reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit „Plutarchum habuit ducem Themist. c. XXVII ita disputantem „Θουκυδίδης μὲν οὖν, καὶ Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς ἱστοροῦσι, τεθνηκότος Ξέρξου, πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τῷ Θεμιστοκλεῖ γενέσθαι τὴν ἔντευξιν· Ἔφορος δὲ καὶ Δείνων καὶ Κλείταρχος καὶ Ἡρακλείδης, ἔτι δ' ἄλλοι πλείονες πρὸς αὐτὸν ἀφικέσθαι τὸν Ξέρξην· τοῖς δὲ χρονικοῖς δοκεῖ μᾶλλον ὁ Θουκυδίδης συμφέρεσθαι.“ In Alcibiade c. XI. haec blatterat „Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui ejusdem aetatis fuit, Theopompus, qui fuit post aliquanto natus, et Timaeus, qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando consenserunt.“ Nam Thucydides VI c. 15. ut summis laudibus efferat Alcibiadem, tantum abest, ut haud mediocriter vituperet. Theopompum Plutarchus in Lysandro c. XXX. citat ita „ψέγει γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖ;“ de Timaeo locus est apud Diodorum XIII. 90. hic „Τίμαιος ὁ τῶν πρὸ ἑαυτοῦ συγγραφέων πικρότατα κατηγορήσας καὶ συγγνώμην οὐδεμίαν τοῖς ἱστοριογράφοις ἀπολιπών.“ In ceteris Timaei et Theopompi fragmentis, quae Muelleri fratres Parisiis et ipsa ediderunt, aliud fragmentum, ex quo maledicentia ista concludi possit, non legitur, ut probabile sit, Plutarchi et Diodori locos laudatos esse eos, ex quibus illud „maledicentissimi“ captaverit.

Atque profecto Plutarchum et Diodorum ita secutus est latinus scriptor, ut in Lysandro, Cimone, Iphicrate, Chabria Diodorum, in Aristide, Alcibiade, aliis Plutarchum sibi primarium fontem sumeret, in illis vitis Plutarcho, in his Diodoro auxiliario fonte in usum vocatis; plus duos scriptores ad consarcinandas vitas suas inspexisse eum, cave opineris. Atque ut paucis absolvam, Plutarchus, quem sub finem primi atque initium alterius Christianae aerae saeculi floruisse constat, prior vitas scripsit, eumque secutus latinus scriptor maximam partem exscripsit et festinanter atque incondite excerpsit, unde factum, ut pronominum usus frequentissimus offendat. An venuste et eleganter in Aristidis vita admodum brevi pronominales formae „qui, cui, hic, idem, hujus, ejus“ ad Aristidem significandum usurpatae sunt? Quid? quod in uno eodemque enunciato pronomen „hujus“ bis occurrit, priore loco ad Aristidem, posteriore ad vocem „imperii“ relatum.

Hoc quoque notandum est, quod doctrinae speciem praebiturus, ut alia praetermittam, vocis „ὀστρακισμός“ significatum in Plutarchi vita Periclis c. X. ὁ μὲν οὖν ἐξοστρακισμὸς ὡρισμένην εἶχε νόμῳ δεκαετίαν τοῖς φεύγουσι“ obvium tribus locis, in Themistocle c. VIII, in Cimone c. III, in Aristide c. I. iisdem fere verbis explicat.

Quantopere vero Plutarchus latino vitarum exscriptori antehabendus sit, ultro intellegitur, quum ille historicae artis peritissimus nihil omittat, quod ad virum, cujus vitam scribit, pernoscendum nemini non necessarium videatur, contra epitomator in suis vitis nec consilium nec rationem sequatur aliam, quam ut auctoris vestigia hic illic premat. Res, ut exemplo utar, a conjuratis Pelopida duce gestas Plutarchus propterea copiose narrat, quia fatalis illa nox non solum libertatis Thebanorum, verum etiam principatus decem annorum exordium evasit, et ut Pelopidae summa merita de liberanda civitate efferat; epitomator vero, quanquam et ipse illas res refert, tamen eam narrationem „a re proposita separatam esse“ subnectit. Quae sententia quam inepta sit, quivis intelleget, qui cum ea comparaverit, quod Plutarchus non minus philosophus quam vitarum scriptor praeclarus in vita Alexandri c. I. praemonet his verbis „παραιτησόμεθα τοὺς ἀναγιγνώσκοντας, ἐὰν μὴ πάντα, μηδὲ καθ' ἕκαστον ἐξειργασμένως τι τῶν περιβοήτων ἀπαγγέλλωμεν, ἀλλ' ἐπιτέμνοντες τὰ πλεῖστα, μὴ συκοφαντεῖν. οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους, οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς, ἢ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις

ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται καὶ πολιορκίαι πόλεων — ἡμῖν δοτέον εἰς τὰ τῆς ψυχῆς σημεῖα μᾶλλον ἐνδύεσθαι, καὶ διὰ τούτων εἰδοποιεῖν τὸν ἑκάστου βίον, ἐάσαντες ἑτέροις τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀγῶνας."

In latinarum ista vitarum praefatione, cujus pars satis magna in Miltiadis, Themistoclis, Epaminondae vitis repetitur, de diversis Graecorum et Romanorum moribus agitur, ut conjicere liceat, Romanorum quoque vitas ab eodem epitomatore scriptas esse. Id factum iri, in Hannibale c. XIII. verbis „Sed nos tempus est hujus libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit judicari" promittit atque ita promittit, ut dubitationi locus non relinquatur, quin opus scribere Plutarcho simillimum constituerit. Quod si quis dicat, esse quidem permagnam similitudinem inter Plutarchum et latinum scriptorem, sed dubitari posse, uter utrum exscripserit vel inspexerit, eum equidem puto decessurum de sententia sua, modo unius ejusdemque imperatoris vitam Plutarcheam et latinam accurate legerit, neque diffitebitur, latinam hanc posse paucis quibusdam Plutarcheae vitae segminibus sive particulis in auxilium vocatis graece verti.

Id probaturus Aristidis vitam e latino graece, quoad ejus facere opportunum est, vertam, eique versioni observata addam, ex quibus eluceat, auctorem festinatione quoque, quam in praefatione „Sed plura persequi tum magnitudo (!) voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum" profitetur, re vera usum esse.

c. I. Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se. In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae.

Quanquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quem quidem nos audierimus, cognomine Justus sit appellatus, tamen a Themistocle collabefactus testula illa exilio decem annorum multatus est. Qui quidem quum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadvertisset quendam scribentem, ut patria pelleretur, quaesisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus duceretur. Cui ille respondit se ignorare Aristiden, sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Justus appellaretur. Hic decem annorum legitimam poenam non pertulit. Nam postquam Xerxes in

c. I. Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου Ἀθηναῖος καὶ Θεμιστοκλῆς ὁ Νεοκλέους συνετράφησαν μέν, περὶ τοῦ δὲ πρωτεύειν φιλονεικοῦντες διεφέροντο πρὸς ἀλλήλους.

Πασῶν τῶν περὶ Ἀριστείδην ἀρετῶν ἡ δικαιοσύνη αἴσθησιν παρεῖχεν, ὅθεν ἐκτήσατο τὴν προσηγορίαν τοῦ Δικαίου. Ἔπταισε δὲ ὑπὸ Θεμιστοκλέους ἐκκηρυχθεὶς εἰς δέκα ἔτη. Γραφομένων οὖν τότε τῶν ὀστράκων, λέγεταί τινα τῶν ἀγραμμάτων καὶ παντελῶς ἀγροίκων, ἀναδόντα τῷ τῆς πόλεως ἀπαλλατομένῳ Ἀριστείδῃ τὸ ὄστρακον ὡς ἑνὶ τῶν τυχόντων, παρακαλεῖν, ὅπως Ἀριστείδην ἐγγράψῃ. Τοῦ δὲ θαυμάσαντος καὶ πυθομένου, μή τι κακὸν αὐτῷ πεποίηκεν· Οὐδὲν, εἶπεν, οὐδὲ γιγνώσκω τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν Δίκαιον ἀκούων· Ταῦτ' ἀκούσαντα τὸν Ἀριστείδην ἀποκρίνασθαι μὲν οὐδὲν, ἐγγράψαι δὲ τοὔνομαι τῷ ὀστράκῳ καὶ ἀποδοῦναι. Οὗτος τὴν ὀστρακισμῷ ὡρισμένην δεκαετίαν μετέστη οὐχ ὅλην· Ξέρξου γὰρ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα καταβαί-

Graeciam descendit, sexto?! fere anno, quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.

c. II. Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius, quam poena liberaretur. Idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est. Neque aliud est ullum hujus in re militari factum quam hujus imperii memoria, justitiae vero et aequitatis et innocentiae multa, in primis, quod ejus aequitate factum est, cum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses. Namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. Tum autem et intemperantia Pausaniae et justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent.

c. III. Quos quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classes aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, ejusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune aerarium esse voluerunt. Quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quam quod, cum tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiae ejus publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.

νοντος τρίτῳ τῆς μεταστάσεως ἔτει κάτοδος αὐτῷ ἐψηφίσθη.

c. II. Τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν πρὸ τοῦ δόγματος συνεπράξατο, μετὰ δὲ τοῦτο τὸ δόγμα ἦν στρατηγὸς τῶν Ἀθηναίων αὐτοκράτωρ ἐπὶ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην, ᾗ ὁ Μαρδόνιος ἀπεκτάθη καὶ τὸ στράτευμα αὐτοῦ παμπόλλων πεσόντων ἐφυγαδεύθη. Ἡ οὖν Ἀριστείδου ἐν Πλαταιαῖς στρατηγία δόξαν ἔσχε, ἐν οὐδενὶ δὲ τῶν ἄλλων κατορθωμάτων ἐγεγόνει πρῶτος, τῆς δὲ δικαιοσύνης καὶ ἐπιεικείας καὶ εὐγνωμοσύνης δείγματα ἐξέφερε πολλά· μάλιστα δὲ, ὅτι ἐκπεμφθεὶς στρατηγὸς πρὸς τὸν πόλεμον μετὰ τοῦ Παυσανίου ἐποίησε τῇ ἐπιεικείᾳ τὴν κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν ἀπὸ τῶν Σπαρτιατῶν μεταταχθῆναι. Πρὸ τούτου γὰρ τοῦ χρόνου οἱ Σπαρτιᾶται τὴν κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ἡγεμονίαν εἶχον. Τότε δὲ διὰ τὴν Παυσανίου βαρύτητα καὶ Ἀριστείδου δικαιοσύνην μόνον οὐ πάντες οἱ σύμμαχοι πρὸς τοὺς Ἀθηναίους προσέκλιναν, τέλος δὲ ἀποστάντες ᾤχοντο πρὸς τοὺς Ἀθηναίους.

c. III. Πρὸς δὲ τὸν ἀπὸ τῶν Περσῶν ὑποπτευόμενον πόλεμον τάξαι φόρον ταῖς πόλεσι πάσαις κατὰ δύναμιν αἱρεθέντος Ἀριστείδου, τάλαντα πεντακόσια καὶ ἑξήκοντα εἰς Δῆλον κατετίθεντο, ταύτην γὰρ κοινὸν ταμιεῖον ἀπέδειξαν οἱ Ἕλληνες. Ταῦτα δὲ χρήματα πάντα τὰ συναγόμενα ὕστερον εἰς Ἀθήνας μετήχθη. Τῆς Ἀριστείδου καθαρότητος καὶ δικαιοσύνης δεῖγμα μέγιστόν ἐστιν, ὅτι τηλικαύτης ἐξουσίας κύριος γενόμενος ἐτελεύτησε πενεστατος, ὥστε μηδ' ἐνταφια αὐτῷ κατέλιπε. Διὰ τοῦτο αἱ θυγατέρες ἐκ τοῦ προτανείου τοῖς νυμφίοις ἐξεδόθησαν, δημοσίᾳ τῆς πόλεως τὸν γάμον ἐγγυώσης. Ἐτελεύτησε δὲ τετάρτῳ ἔτει μετὰ τὴν Θεμιστοκλέους ἐξ Ἀθηνῶν φυγήν.

c. I. Quae tribus primis hujus capitis versibus commemorantur, eadem apud Plutarchum in Aristide c. I et II leguntur copiose enarrata; a latino autem scriptore excerpta sunt et contra logices praecepta videntur esse ordinata. Nam si Aristides et Themistocles aequales fere non fuissent, de principatu contendere non poterant; in eo autem, quod duo viri aequales sint, necessariam contentionis et aemulationis eorum non inesse causam, Epaminondae et Pelopidae concordia declarat. Id quum epitomator sensisse videatur, verba „namque obtrectarunt inter se" subjungit, ut in obtrectatione causam, quapropter de principatu contenderent, inesse doceret. Quae sententia quamvis recta sit, tamen male subjungitur, quia in latina quidem non minus quam in graeca lingua dispositio enunciatorum ex temporis ratione ita apta est, ut illud enunciatum, quod causam exhibet, praemittatur, quod effectum continet, subsequatur. Forsitan dicatur, in contentione utriusque de principatu causam deprehendi, cur inter sese obtrectarint. Non repugno, verum tamen bene conglutinata esse haec tria enunciata nego. Etiam monendum est, ex compilatore non intellegi, majorem obtrectationis culpam utrum Aristides sustinuerit an Themistocles; Plutarchum Arist. c. II „τὴν μὲν (Θεμιστοκλέους) φύσιν ἀνακαλύπτεσθαι εὐχερῆ καὶ παράβαλον καὶ πανοῦργον οὖσαν, καὶ μετ' ὀξύτητος ἐπὶ πάντα ῥᾳδίως φερομένην, τὴν δὲ (Ἀριστείδου) ἱδρυμένην ἐν ἤθει βεβαίῳ καὶ πρὸς τὸ δίκαιον ἀτενῆ, ψεῦδος δὲ καὶ βωμολοχίαν καὶ ἀπάτην οὐδ' ἐν παιδιᾶς τινι τρόπῳ προσιεμένην" Comp. Arist. c. Cat. c. V. „Ἀριστείδης Θεμιστοκλεῖ τὰ μέγιστα συμπράττων καὶ τρόπον τινὰ τὴν στρατηγίαν αὐτοῦ δορυφορῶν ὤρθωσε τὰς Ἀθήνας" Themist. c. III „διὰ τὴν σφοδράν πρὸς δόξαν ὁρμὴν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς πρωτεύειν ἐφιέμενος ἰταμῶς ὑφίστατο τὰς πρὸς τοὺς δυναμένους ἐν τῇ πόλει καὶ πρωτεύοντας ἀπεχθείας, μάλιστα δ' Ἀριστείδην" dicentem qui animadverterit, is Themistoclem sciet illo vitio fuisse tentum.

Quod eloquentia Themistocles antecelluisse Aristidi perhibetur, apud Plutarchum non exstat locus, quo illud probetur, quum in Aristidis vita nulla fiat ejus rei mentio, neque in Themistoclis vita quae secundo capite afferuntur, ullam ansam satis firmam praebeant. Apud Diodorum quoque commemoratio eloquentiae seu Themistoclis sive Aristidis frustra quaeritur, ut facile quis conjiciat, compilatorem tertio quodam fonte usum esse. Mihi vero probabilius videtur, ex Plutarcheae Aristidis vitae verbis „τοῦ Θεμιστοκλέους λόγον εἰς τοὺς πολλοὺς ἐμβαλόντος" propter festinationem minus recte intellectis profectam esse illam Themistocleae laudem eloquentiae. Leguntur enim c. VII haec „Τῷ δ' οὖν Ἀριστείδῃ συνέβη τὸ πρῶτον ἀγαπωμένῳ διὰ τὴν ἐπωνυμίαν ὕστερον φθονεῖσθαι, μάλιστα μὲν τοῦ Θεμιστοκλέους λόγον εἰς τοὺς πολλοὺς ἐμβαλόντος, ὡς Ἀριστείδης ἀνῃρηκὼς τὰ δικαστήρια τῷ κρίνειν ἅπαντα καὶ δικάζειν λέληθε μοναρχίαν ἀδορυφόρητον ἑαυτῷ κατασκευασάμενος." His de causis verba „In his autem cognitum est — audierimus" ludi magistro garrienti deberi suspicans non verti. Accedit, quod verba „quod quidem nos audierimus" absurde dicta sunt, quia fando scire nullius momenti est; si vero „legerimus" scripsisset, ea res doctrinam redoleret viri in litteris versatissimi, sed aliter est sentiendum. Sunt et illa verba et quae antecedunt „unus post hominum memoriam" inepta et levitatem magistri docent, locum qui apud Plutarchum Arist. c. VI. „ἀνὴρ πένης καὶ δημοτικὸς ἐκτήσατο τὴν βασιλικωτάτην καὶ θειοτάτην προσηγορίαν τοῦ Δικαίου, ὃ τῶν βασιλέων καὶ τυράννων οὐδεὶς ἐζήλωσεν, ἀλλὰ Πολιορκηταὶ καὶ Κεραυνοὶ καὶ Νικάτορες, ἔνιοι δ' Ἀετοὶ καὶ Ἱέρακες ἔχαιρον προσαγορευόμενοι" legitur, more suo interpretantis.

Cetera hujus primi capitis ex Plutarcho Arist. c. VII petita sunt. Nam „concitatam multitudinem" e graeco „ὁ δῆμος ἤχθετο τοῖς ὄνομα καὶ δόξαν ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς ἔχουσι· καὶ

συνελθόντες εἰς ἄστυ πανταχόθεν ἐξοστρακίζουσιν Ἀριστείδην" vertit auctor vel potius interpretatus est. In formula „postquam Xerxes in Graeciam descendit" verbum descendendi poetarum more dictum videtur; apud Plutarchum Arist. c. VIII. legitur „Ξέρξου ἐλαύνοντος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα" Themist. c. VI „τοῦ Μήδου καταβαίνοντος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα." Quid aliud hinc sequitur, quam compilatorem ex utroque Plutarchi loco parte delibata locutionem istam consuisse: temporis autem rationem Graecus καταβαίνοντος non καταβάντος scribens melius servavit, quam latinus homo. Unde illud „a Themistocle collabefactus" sumtum sit, si quis quaerat, eum ad Plutarchi Comp. Arist. c. Cat. c. II. remitto, ubi „ἔπταισεν ὑπὸ Θεμιστοκλέους" legitur.

Quantopere denique epitomatori antehabendus sit Plutarchus, apparet ex historiola, quam a Plutarcho in Aristide c. VII. facete narratam ille neque accurate et omni venustate detracta repetit, quare facere non potui, quin latina verba graece vertere intermittens Plutarchea verba rescriberem integra.

c. II. Totum hujus capitis argumentum tenue apud Plutarchum in vita Aristidis c. VIII. IX. XI. XIX. XXIII, diligentissime et uberrime tractatur, ex parte apud Diodorum XI. 44 legitur, ut, quoniam ex his locis latinus scriptor suam mutuatus est narrationem, iisdem uti vertenti mihi non modo aptum esse, sed etiam necessarium videretur. Sunt vero nonnulla, quae epitomator propter festinationem minus diligenter et paulo obscurius narravit, vel a vero recedens male commentus est. Atque manifestus error in eo deprehenditur, quod Aristidem, priusquam poena liberaretur, pugnae navali interfuisse tradit. Diodorus quidem Marathoniam Salaminiamque pugnam narrans Aristidem, quippe qui in neutro proelio primas partes egerit, silentio praeteriit, Plutarchus vero res ab Aristide gestas copiose explicans interfuisse eum pugnae Salaminiae auctor est, eumque auctorem latinus scriptor secutus est. Plutarchus enim perspicuis quidem verbis in Aristide c. VIII. „ἧκεν ὁ Ἀριστείδης ἀπ' Αἰγίνης παραβόλως διὰ τῶν πολεμίων νεῶν διεκπλεύσας, καὶ νυκτὸς ἐλθὼν ἐπὶ τὴν σκηνὴν τοῦ Θεμιστοκλέους καὶ καλέσας αὐτὸν ἔξω μόνον" et in Themist. c. XII. „ἧκεν ἐπὶ τὴν σκηνὴν τοῦ Θεμιστοκλέους οὐκ ὢν φίλος ἀλλὰ δι' αὐτὸν ἐξωστρακισμένος" declarat, Aristidem proelio, quum coeptum esset contendi, interfuisse nondum restitutum i. e. πρὸ τοῦ δόγματος seu ψηφίσματος, quo plebiscitu ipse atque alii exules restituti sunt. Huic interpretationi etiam verbi „ἐξωστρακισμένος" forma suffragatur. Sed si verum est, quod Plutarchus in Themistocle c. XI perinde atque in Aristide c. VIII. his fere verbis „οἱ Ἀθηναῖοι ἐψηφίσαντο τοῖς μεθεστῶσι κάτοδον, μάλιστα φοβούμενοι τὸν Ἀριστείδην, μὴ προσθέμενος τοῖς πολεμίοις διαφθείρῃ καὶ μεταστήσῃ πολλοὺς τῶν πολιτῶν πρὸς τὸν βάρβαρον, οὐκ ὀρθῶς στοχαζόμενοι τοῦ ἀνδρός" monet, Athenienses propter metum, ne Aristides cum Persis facturus esset, reditum exulum populi scitu decrevisse; quis dubitat, quin ista restitutio finito demum facta proelio res inepta admodum fuisset. Quod igitur conjicere licet, proelio, cui intererat, vixdum committi coepto restitutum esse Aristidem, id Plutarchi auctoritate confirmatur. Scribit enim Arist. c. VIII. „ἐν τῷ συλλόγῳ τῶν στρατηγῶν εἰπόντος Κλεοκρίτου τοῦ Κορινθίου πρὸς τὸν Θεμιστοκλέα, μηδ' Ἀριστείδῃ τὴν γνώμην ἀρέσκειν αὐτοῦ, παρόντα γὰρ σιωπᾶν· ἀντεῖπεν ὁ Ἀριστείδης, ὡς οὐκ ἂν ἐσιώπα, μὴ λέγοντος τὰ ἄριστα Θεμιστοκλέους." ibidem legitur „καὶ μετὰ τὸ δόγμα τοῦτο Θεμιστοκλέους στρατηγοῦντος αὐτοκράτορος πάντα συνέπραττε καὶ συνεβούλευε, ἐνδοξότατον ἐπὶ σωτηρίᾳ κοινῇ ποιῶν τὸν ἔχθιστον" atque similiter Comp. Arist. c. Cat. c. V. „Ἀριστείδης Θεμιστοκλεῖ τὰ μέγιστα συμπράττων καὶ τρόπον τινὰ τὴν στρατηγίαν αὐτοῦ δορυφορῶν ὤρθωσε τὰς Ἀθήνας." Talem se praebere Aristidi, nisi restituto, non licuisse, dogmatis verba docent, quae

Themist. c. XI leguntur „Θεμιστοκλῆς γράφει ψήφισμα, τοῖς ἐπὶ χρόνῳ μεθεστῶσιν ἐξεῖναι κατελθοῦσι πράττειν καὶ λέγειν τὰ βέλτιστα τῇ Ἑλλάδι μετὰ τῶν ἄλλων πολιτῶν.“

Ut sciatur, quomodo verba „Idem praetor fuit apud Plataeas“ interpretanda sint, non sufficit, ut notetur, praetorem idem significare, quod στρατηγόν i. e. Feldherr, eorumque praetorum Athenis novenos creatos esse, sed Plutarchus inspiciendus est, apud quem Arist. c. XI. legitur „Χειροτονηθεὶς δὲ στρατηρὸς αὐτοκράτωρ i. e. praetor cum imperio sive imperator, cui alii praetores στρατηγοί, si qui cum illo contra hostes proficiscerentur, subditi essent, id quod significare videtur epitomator, paulo infra „hujus imperii“ dicens.

In enunciato „quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est“ verba „fusus“ et „interfectus,“ nisi egregie fallor, permutanda sunt. Nam in ejusdem scriptoris vita Pausaniae c. I. legitur „eoque ipse dux cecidit proelio“ eamque lectionem cum Diodorus XI. 31. „ἐπεὶ δὲ ὅ τε Μαρδόνιος ἀγωνιζόμενος ἐκθύμως ἔπεσε καὶ τῶν ἐπιλέκτων οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ κατετρώθησαν, πρὸς φυγὴν ὥρμησαν οἱ βάρβαροι“ tuetur, tum Plutarchus Arist. c. XIX. ita referens „Τὸν Μαρδόνιον ἀνὴρ Σπαρτιάτης, ὄνομα Ἀρίμνηστος ἀποκτίννυσι λίθῳ τὴν κεφαλὴν πατάξας.“ Has ob causas illum epitomatoris locum ut corruptum liberius i. e. Plutarchi maxime secutus auctoritatem vertere non dubitavi.

Quod monetur „Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum“ fortasse id judicium in Plutarcheo loco nititur, qui locus est in Comp. Arist. c. Cat. c. II. „Ἀριστείδης ἐν οὐδενὶ τῶν κατορθωμάτων γέγονε πρῶτος, ἀλλὰ Μιλτιάδης ἔχει τοῦ Μαραθῶνος τὸ πρωτεῖον, Θεμιστοκλῆς δὲ τῆς Σαλαμῖνος.“ Majoris vero momenti est in eadem Aristidis cum Catone comparatione c. V. judicium Plutarchi has Aristidi laudes tribuentis „ἐν ταῖς στρατηγίαις Ἀριστείδου τὰ κάλλιστα καὶ λαμπρότατα καὶ πρῶτα τῶν Ἑλληνικῶν ἔργων ἐστὶν ὁ Μαραθών, ἡ Σαλαμίς, αἱ Πλαταιαί.“ Hic locus, cujus rationem habere epitomatori festinanti superfluum visum est, grave argumentum habet, Aristidem paulo provectiorem aetate fuisse quam Themistoclem atque jam ante Marathonjam pugnam scientia rei militaris valde inclaruisse. Ita facile intellegitur, cur factum sit, ut idem in pugna Salaminia aliquantum auctoritate valeret proximoque anno etiam imperator Atheniensium crearetur.

Quomodo verba „quum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania“ intellegi velit epitomator, in Pausaniae vita c. II. „Post id proelium eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt sc. Lacedaemonii, ut ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret.“ De hac re Plutarchus Arist. c. XXIII. agit, epitomator autem Diodorum maxime respexit XI. 44 ita narrantem „Λακεδαιμόνιοι Παυσανίαν τὸν ἐν Πλαταιαῖς στρατηγήσαντα καταστήσαντες ναύαρχον προσέταξαν ἐλευθεροῦν τὰς Ἑλληνίδας πόλεις, ὅσαι βαρβαρικαῖς φυλακαῖς διέμενον φρουρούμεναι. οὗτος πεντήκοντα μὲν τριήρεις ἐκ Πελοποννήσου λαβών, τριάκοντα δὲ παρ' Ἀθηναίων μεταπεμψάμενος, ὧν Ἀριστείδης ἡγεῖτο, πρῶτον μὲν εἰς τὴν Κύπρον ἔπλευσε - μετὰ δὲ ταῦτα πλεύσας ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον Βυζάντιον ὑπὸ Περσῶν κρατούμενον ἐχειρώσατο.“

Additamentum „quo duce Mardonius erat fugatus“ interpolatori an scriptoris garrulitati debeatur, equidem dijudicare nolo. Extremam vero hujus capitis secundi partem „Namque ante id tempus — delegerent“ cujus argumentum et apud Plutarchum et apud Diodorum reperitur, plus aequo late scriptam esse cuivis facile erit persuasum.

c. III. Secundum Diodorum XI. 47. tradentem „Εὐθὺς οὖν ὁ μὲν Ἀριστείδης συνεβούλευε τοῖς συμμάχοις ἅπασι κοινὴν ἄγουσι σύνοδον ἀποδεῖξαι τὴν Δῆλον κοινὸν ταμιεῖον, καὶ τὰ χρήματα πάντα τὰ συναγόμενα εἰς ταύτην κατατίθεσθαι, πρὸς δὲ τὸν ἀπὸ τῶν Περσῶν ὑποπτευόμενον πόλεμον

τάξαι φόρον ταῖς πόλεσι πάσαις κατὰ δύναμιν, ὥστε γίγνεσθαι τὸν πᾶν ἄθροισμα τάλαντων πεντακοσίων καὶ ἑξήκοντα." a singulis civitatibus tributa conferebantur, ut sumtus, quem in bella Graecorum adversus barbaros et in alias res Graeciae communes fieri necesse erat, expedite impendi posset. Praeter hoc tributum ut alterum idque novum, quod bello contra Persas parando ac gerendo inserviret, conferretur Delumque utriusque tributi aerarium esse ut placeret, Aristides suasit sociis. Plutarchus c. XXIV haec referens „Οἱ δ' Ἕλληνες ἐτέλουν μέν τινα καὶ Λακεδαιμονίων ἡγουμένων ἀποφορὰν εἰς τὸν πόλεμον, ταχθῆναι δὲ βουλόμενοι κατὰ πόλιν ἑκάστοις τὸ μέτρον ᾐτήσαντο παρὰ τῶν Ἀθηναίων Ἀριστείδην, καὶ προςέταξαν αὐτῷ, χώραν τε καὶ προςόδους ἐπισκεψάμενον ὁρίσαι τὸ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ καὶ δύναμιν" unum tantummodo Graecarum civitatium tributum commemorat, jam iis temporibus conferri solitum, quibus Lacedaemonii principatum tenebant, post victoriam vero Salaminiam rogatu sociorum, ut Aristides id pro magnitudine et vectigalibus singularum civitatium constitueret, Delum insulam conferendum.

Epitomator unius Graecorum sociorum tributi mentionem faciens Plutarchum secutus est; sed verba, quibus totam eam rem describit, documento sunt, Diodorum ab eo maxime exscriptum esse. Nam illud „Quos quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classes aedificandas exercitusque comparandos" quid aliud est, quam verborum „πρὸς τὸν ἀπὸ τῶν Περσῶν ὑποπτευόμενον πόλεμον" interpretatio? Verborum „quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est" prior pars Diodoro debetur „πάντα τὰ χρήματα" scribenti, posterior apud Plutarchum c. XXV. his verbis „τὰ χρήματά φησιν ὁ Θεόφραστος ἐκ Δήλου Ἀθήναζε βουλευομένων τῶν Ἀθηναίων κομίσαι παρὰ τὰς συνθήκας, καὶ Σαμίων εἰςηγουμένων, εἰπεῖν ἐκεῖνον sc. Ἀριστείδην, ὡς οὐ δίκαιον μὲν συμφέρον δὲ τοῦτ' ἔστιν" significatur. Quo vero tempore aerarium sociorum publicum Athenas translatum sit, id neque ex hoc loco, neque ex epitomatore non minus obscure quam breviter „postero tempore" dicente cognoscitur; adeundus est Plutarchus in vita Periclis c. XII. Errasse Diodorum, quum XI. 47 dicit „ταχθεὶς ἐπὶ τὴν διάταξιν διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης δίκαιος ἐπωνομάσθη" errasse, inquam, in eo, quod ab hoc demum tempore Aristidem dicit esse Justum appellatum, vix operae pretium est monere.

Posterior hujus capitis pars a duobus Plutarchi locis assumta est, quorum alter c. XXIV. haec verba habet „ὁ δὲ τηλικαύτης ἐξουσίας κύριος γενόμενος, καὶ τρόπον τινὰ τῆς Ἑλλάδος ἐπ' αὐτῷ μόνῳ τὰ πράγματα πάντα θεμένης, πένης μὲν ἐξῆλθεν, ἐπανῆλθε δὲ πενέστερος" alterius verba haec leguntur c. XXVII. „τάφον φασὶ τατασκευάσαι τὴν πόλιν, μηδ' ἐντάφια καταλιπόντι. καὶ τὰς μὲν θυγατέρας ἱστοροῦσιν ἐκ τοῦ πρυτανείου τοῖς νυμφίοις ἐκδοθῆναι, δημοσίᾳ τῆς πόλεως τὸν γάμον ἐγγυώσης" cf. etiam Comp. Arist. c. Cat. c. III. Indicium vero epitomatoris, quo anno morte defunctus sit Aristides, tanto magis memoratu dignum est, quia neque apud Plutarchum neque apud Diodorum ejus rei ulla fit mentio, ut confitendum mihi sit, unum idque postremum vitae Aristidis enunciatum „Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus" videri aliunde petitum; nam in primo capite, ubi „sexto fere anno" legitur, dubito, an non „tertio fere anno" scripserit Plutarchi adsectator.

Restat, ut lectores, si qui futuri sint, ea qua par est observantia rogem, ne inclementer de hoc meo opusculo qualicunque judicent, eaque venia idcirco haud indignus esse mihi videor, quia non ultro exstiti programmatarius, sed paene invito mihi injunctum erat officium scribendi quintum hoc programma.